

INCIPIT CONCILIUM NEOCESARIENSE

I. De presbiteris, quod uxorem ducere non debent.

II. De muliere duobus fratribus nubere non licere.

III. De his, qui multis nuptiis communicaverint.

5 IIII. De concupiscentia non consumpta.

V. De caticuminis peccantibus.

VI. De pregnantibus baptizandis.

VII. Presbiteros in secundis nuptiis non debere orare.

VIII. Uxor adulterae virum clericum fieri non debere.

10 VIIII. De presbiteris corporali peccato praeoccupatis.

X. De diaconibus corporali peccato praeoccupatis.

XI. De presbitero minus triginta annorum minime ordinandum.

XII. De his, qui in egritudine sunt baptizati.

XIII. De presbiteris alterius regionis.

15 XIIIII. De diaconibus septem.

EXPLICIUNT CAPITULA

ET HI QUIDEM CANONES SECUNDI SUNT eorum, qui in Anchyra et Caesarea expositi sunt; Nicenis vero priores inveniuntur. Convenerunt autem in synodum memoratam Novaecesariense civitate hi, qui infra scripti sunt: Vitalis, Germanus, Sedus, Erstrius, Lupus, Geroncius, Leoncius, sanctus Basilicus, Valentinus, Stephanus, Gregorius, Longinus, Salamnus, Narcissus, Leontius, Decasius, Eraclyus, Alipius, a quibus hae regulae prolatae sunt, quae infra scriptae sunt.

20 I. PRESBITER, SI UXOREM DUXERIT, AB ORDINE ILLUM DEPONI DEBERE, quod si fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abici et ad poenitentiam inter laicos redigi oportet.

25 II. Mulier, si duobus fratribus nupserit, abiciatur usque ad diem mortis. Sed propter humanitatem, in extremis suis sacramentis reconciliari oportet, ita tamen ut si forte sanitatem recuperaverit matrimonio solito ad poenitentiam admittatur. Quod si defuncta fuerit mulier in huiusmodi consortio constituta, difficilis erit poenitentia remanenti. Quae sententia tam viros quam mulieres tenere debet.

30 III. De his, qui frequenter uxores ducunt, et de his quae saepius nubunt, tempus quidem his constitutum manifestum est, sed conversatio et fides eorum tempus abbreviat.

35 IIII. Si quis concupita muliere, etiamsi concubitus eius desiderium habet, non autem subsequatur effectus, manifestum est hunc fuisse per divinam gratiam liberatum.

21 Narcissus] corrected from Narcisus 23 AB] corrected from AD 28 solito] alternative in margin: vel soluto 31–32 quae ... est] corrupted; compare H: ...qui saepius nubunt, tempus quidem, quod his constitutum est, manifestum est...

V. *Caticuminus, id est audiens qui ingreditur ecclesiam et stat cum caticuminis, si peccare fuerit visus, figens genua audiat verbum, ut se abstineat ab illo peccato quod fecit; quod si in eo perdurat, abici omnino debere.*

VI. *De pregnantibus, quod eas oportet baptizari quando volunt. Nihil enim in hoc sacramento commune est pariturae et illi, qui de eius utero fuerit editus, quia uniuscuiusque in illa confessione libertas arbitrii declaratur.* 40

VII. *Presbiterum conubio secundarum nuptiarum interesse non debere, maxime cum precipiatur secundis nuptiis poenitentiam tribuere. Quis erit presbiter, qui propter convivium illis consentiat nuptiis?* 45

VIII. *Si cuius uxorem adulterium commisisse cum esset laicus fuerit conprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in clericatum iam constituto eo adulteravit, dato repudio dimittere eam debet; si vero retinere eius consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.*

81v VIII. *Qui admiserit corporale peccatum, et hic postea presbiter ordinatus est, si confessus fuerit quod ante ordinationem suam peccaverit, non quidem offerat, maneat autem in aliis officiis propter eius studii utilitatem. Nam caetera peccata consuerunt plurimos etiam ordinatione privare. Quod si de his non fuerit confessus, nec ab aliquibus potest manifeste convinci, huic ipsi de se potestas est committenda.* 50
55

X. *Similiter et diaconus, si in eodem culpaee genere fuerit involutus, sese a ministerio cohibebit.*

XI. *Presbiter ante triginta annorum aetatem non ordinetur, quamvis sit probabilis vitae, sed observetur usque ad pefinitum tempus. Dominus enim tricesimo anno baptizatus est, et tunc praedicavit.* 60

XII. *Si quis in egritudine constitutus fuerit baptizatus, presbiter ordinari non debet—non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est—nisi forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas cogat.*

XIII. *Presbiteri, qui conregionales non sunt, in aeclesia presentibus episcopis vel presbiteris civitatis offerre non possunt, nec panem dare sanctificatum, nec calicem porrigere. Quod si absentes sunt civitatis sacerdotes et fuerint invitati, ad dandam orationem soli debebunt dare. Vicarii autem episcoporum, quas Graeci chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum, sed tamquam consacerdotes propter sollicitudinem et studium, quod in pauperes agunt, offerant et honorabiles habeantur.* 65
70

XIII. *Diaconi septem esse debent secundum regulam, quamvis magna sit civitas. Regulae tamen auctoritas ista est, quod et liber actuum apostolorum insinuat.*

40 in] added 42 arbitrii] corrected from arbitri 44 secundis] corrected from secundus 53 plurimos] corrected from plurimi (also the reading of H) 45 privare] corrected from privari (the reading of H) 65–70 nec¹ ... habeantur] substantially revised by Ps. Isidore; compare H: ...nec panem dare, in oratione autem calicem dabunt. Quod si absentes sint civitatis sacerdotes et fuerit invitatus, in oratione solus poterit dare. Vicarii autem episcoporum, quos [quod W411] Graeci chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum LXX seniorum, sed tamquam consacerdotes propter sollicitudinem et studium in pauperes offerant et honorabiles habeantur. 72 Regulae ... insinuat] revised by Ps. Isidore; compare H: ...cui regulae [regula W411] auctoritas erit liber Actuum Apostolorum.

EXPLICIT CONCILIUM NEOCESARIENSE